
D. O. M. A.

DISSERTATIONES PHILOSOPHICÆ, ET MEDICAE


A IVLIO BARGELLINIO
Florentino, in Almo Pisano Gymnasio Extraordinarijs diebus Medicinæ Lectore, & Rudi Academ.

Publicè expositæ.





Florentiæ, Apud Cosmum Iuntam 1617. Sup. permissu.




PERILLVSTRI

AC REVERENDISS.MO D. D. BARNABAE DE ODDIS

Patritio Perusino, Castri Lisciani Domino S. Miniati Abbati S. Mariæ Nouæ Nosocomei Commendatori.

IVLIVS BARGELLINIVS F. D.



ERENNE sui nominis monumentum nobilissimumq; laudis fructum, facilè consequi potest, qui se in Viri genere insignis dignitate conspicui, animi virtute, ac laudabilium facinorum, memoria, celeberrimi gratiam insinuet, atque ipsum in munere literario sibi velut proprium numen assumat: Quo ego desiderio excitus Te vnum per Hetruriæ auras, & ora volitantem præmensus sum amplissimum in quo excurrat oratio mea campum, & vberrimam vbi gloriola mea ditetur segetem, atque materiam. Verum Reuerendiss.

Antistes hucusque animi potius amantis quam prudentis effrenatione nimium ausus, nimium pollicitus fui. Nam merita quidem tua eatenus vbiq; effulgere videntur, vt aciem mentis meæ perstringant, epistolarem stylum transcendant, omnemq; animi vigorem eneruent: quapropter ille paulo ante obortus impetus refugit, horret, illaq; audacia in tanto molimine, modò pallescit; calamus verò dum tuos honores effari reformidat, eos omninò ineffabiles confitetur. Insigne vnum hoc factum cæterorum, tanquam præconium in chartis, in marmore, in ęre fama quidem inscribat, SERENISS. NOSTRI PRINCIPES, qui non minori prouidentia, quam potestate, nos quasi Dij moderantur, Te solum sacro huius florentissimæ Vrbis Theatro, vbi pietas in Homines, Religio in Deum, rerumq; terrestrium, atq; cęlestium ius, & dispensatio exercenda foret Præfectum statuerunt. Hic (Multa, eaq; præclara omnia prætereo) AEdificia ita magnificè auxisti, & ornasti, vt istud Augusti dictum meritò vsurpare possis: Vrbem lateritiam reperi, relinquo marmoream. *Tu ergo licet tantus talisq; Vir existas nè quæso hanc Epistolam, tum meæ seruitutis prænuntiam, tum etiam hoc munusculum questiunculas s. has Physicas, atque Medicas tuo nomini dicatas, elargientem auerseris. Parua occasio, minor largitio, minima facultas, magnum verò in me desiderium, quàmuis summum in te ipso meritum. Magnanimitatem imploro tuam, vt in aggressione confidentiam excusset, in paruitate adiuuat affectum.*

1 

ABDALVS interrogatus, quid in hoc Mundo maximè admirandum se offerret, Hominem respondit. Et Plato eum miraculũ miraculorum indigitauit. Vnde Oraculo admonemur, nosmetipsos noscere Nihil enim ἐν τῷ ἀυτῷ κόσμῳ inueuire est, quod μικρόκοσμος Homo .s. in se non contineat, atque exibeat. Hunc itaq; noscendum proponimus, quantum nostri instituti est, & vt mixtum similare, & vt mixtùm animatum?

2 Ac Hominem vt mixtum similare primò considerabimus, quia profi'acticen maximè intendimus, de quo loquitur Arist. 4. Meteor.

3 Cuius affectiones, & patæmata propria pendent partim ab actiuis qualitatibus, partim à passiuis?

4 Sunt autem qualitates actiuæ calidum, & frigidum, passiuæ verò humidum, & siccum: & propterea hæ sunt terminantes, copulantes, & transmutantes, illæ verò terminatæ, & patientes?

Ex primis qualitatibus, quæ actiuæ, quæ verò passiuæ dicantur.

5 Et prius de proprietatibus actiuarum, deinde passiuarum agemus: sunt autem præcipuè generatio, & putredo?

6 Quarum primam dicimus esse transmutationem primarum qualitatum, cum habeant rationem ex subiecta materia?

7 Altera verò est corruptio eius, quæ in vnoquoquè humido propriè, & secundum naturam caliditatis ab aliena caliditate. His famulantur concoctio, & inconcoctio?

Generationis & putredinis definitio.

8 Est ergo concoctio perfectio à natura ex proprio calido ex oppositis passiuis, cuius species sunt Maturatio, Elixatio, & assatio?

Concoctionis species, quæ sint.

9 Maturatio autem est concoctio quędam eius alimoniæ, qualis in arborum fructibus est?

10 Elixationem verò dicimus esse concoctionem secundum totum à caliditate humida in existentibus terminatis in humido?

11 Assatio deniqùe est concoctio à caliditate sicca, & aliena?

12 Inconcoctio verò est imperfectio propter indigentiam propriæ

propriæ caliditatis: Inconcoctionis species sunt cruditas, inquinatio, & tostio?

13 Cruditas est incoucotio alimenti, quod in arborum fructibus continetur?

14 Inquinatio verò indigestio, facta propter indigentiam siccæ caliditatis?

15 Tostio tandem est inconcoctio facta à caliditate externa euanescente humido?

16 At omissis quę à qualitatibus passiuis proueniunt scilicet duritie, mollitie, necnon earum speciebus, & quo pacto differant similaria mixta per passiones, & differentias, per qualitates passiuas istis competentes, ad Hominis considerationem, quatenus Animatus est, deueniemus?

17 Cuius absoluta tractatio in ea parte Philos expletur, quæ animastica nuncupatur.

Quæ sit Hominis forma.

18 Verum quia cognitio hęc præcipuè pendet à principio formali, ideò omnibus alijs demissis ad Hominis formam enucleandam accedimus; quam sanè Animam esse dicimus, cum sola sit actus corporis organici potentia vitam habentis?

19 An verò hæc ipsa nullibi sit, an alicubi ambigimus, nam tueri possumus totam esse in toto corpore, & partem in parte, ac tandem nequè totam in toto, nequè partem in parte?

20 Sed ea, quę & qualitercumque sit, facit Hominem intêr alia animantia principatum obtinere, & ipsum deniquè in esse constituit, cum corporis animati principium sit, vt constituens. Cuius conseruatio propter eiusdem operationes est exquirenda, & quia id medicę facultatis munus esse videtur, ideò hanc ipsam aggrediamur?

Medicina an ars, uel sciētia sit.

21 Quæ Medica facultas an ars, vel scientia sit ambigitur; ad artium tamen genus nos potius hanc reducendam esse arbitramur, quia multa ex artis natura mutuatur alioquin mixtam esse facultatem dicere possumus ex scientia nimirum, & artem?

22 Pura enim scientia esse non potest, quia licet demonstrationibus aliquo pacto vtatur, tamen non per se, & absolutè demonstrat, sed in gratiam alterius, idque duabus hisce potissimum rationibus confirmari videtur, nam scientia

text.

text. Arist. 6. Methaph: *Ab arte distinguitur primum fine, secundò ratione subiecti.* Finis enim scientiæ est speculari, artis verò operari, scientia est in intellectu speculatiuo tanquam in subiecto, ars autem in intellectu pratico. Artem ergo potius esse dicimus, quia eius principium aliquod in Artifice consistit, finemque artis habet nempè opus?

23 Sed cum artes aliæ factiuę sint, alię actiuæ, inter factiuas medicam facultatem esse numerandam censemus, vtque opus post actionem, hoc est sanitatem relinquat,

24 Et quia rursus factiuæ Artes, vel nouum opus conficiunt, vel factum resarciunt, eam tamquam Naturę famulam, sanitatem restaurare, & imminentes morbos præcauere asserrimus?

25 Medicinę verò subiectum Corpus Homanum sanitati restituendum, vel in eadem conseruandum, esse putamus: Non enim corpus Humanum, quod in alijs artibus, & scientijs considetatur, peculiare huius facultatis subiectum sibi vindicaret, nisi sanitatis termino coarctaretur? *Medicinæ subiectũ.*

26 At quia propositi subiecti conseruationem, quàm maximè cupimus, & tam diù corpus humanum salubre sit, quousque membra solida humores, & spiritus in ipso naturaliter disposita permanxerint, & Alterationes omnes quę morbos pariunt, aut in membris solidis, aut in spiritibus reperiuntur, ideò de his omnibus agemus?

27 Cumque solida membra nobis in primis sese offerant, eadem prius enucleabimus, quæ omnia bifariam diuidi asserimus in similaria nimirum, & dissimilaria?

28 Ex quibus similaria quidem decemnario numero, si exproprie, & stricto modo consideremus absolui putamus, nam os, Caro, Cartilago, Vinculum, Tendo, Vena, Arteria, & Neruus hæc omnia sunt? *Similares partes quæ, & quot numero sint.*

29 Et licet ab aliquibus nonnulla in similarium numero reponantur, veluti semen, Lac, Vngues, Dentes, Medullam, & Adipem, hoc tamen nobis negocium non facessit, quià etiam si sub generali noctione similarium partium contineantur quatenus scilicet earundem est totius, & partium comunis ratio, nihilominus proprio, & stricto loquendi modo partes verè non sunt, nam si pars ea dicitur, vti ex Gal. habemus, *quę corpus est, toti coheret, & communi vita, fruitur,*

De semine an verè pars ipse sit.

fruitur, vtiquè semen pars non erit, quandoquidem ex Aristot. sententia libro secundo de Animalibus cont.10. *Excrementum vocentur, ac potestate non actu animatum* dicatur.

De Lacte.

30 Eandem de Lacte rationem esse dicimus, cum nil aliud sit lac, vt testatur Arist:4. de ortu Animal. cap. 16. *Quam altera sanguinis pars magis concocta*. Sanguis autem nec ipse verè corporis pars sit?

De Pilis, & Vnguibus.

31 De Pilis, & Vnguibus videtur aliqua difficultas, cum hæc omnia sensibiliter augeri videantur, sed facilè tollitur, quandoquidem isthæc nullo pacto verè producantur, quemadmodum membra propriè dicta ex alimento intus attracto, cum hæ partes attrattrice, retentrice, concoctrice, & expultrice facultate sint expertes, quorum gratia sibi alimenta assimilari possint, sed extenduntur, vt testatur Gal.2. de temp. cap. 5. *Per nouam appositionem fuliginosorum excrementorum, quæ in illa parte aliud sup a aliud impacta tempore complicantur, & coniunguntur*: Quare cum verè animata non sint, neque etiam verè partes erunt?

De dentibus.

32 Dubitatur adhuc de dentibus, nam cum sæpè doleant inferri posse videtur ergo sunt animati, cum dolore affici nequeat, quod anima expers sit, sed facile respondetur, nam dentium dolor non accidit eò quia ipsimet ex sua natura doleant, sed ratione neruorum, qui ad illorum radices dispersi sunt.

De medulla.

33 Ex medullis verò (spinali excepta, nam de hac non est nostra loquutio) nulla est, quæ verè partis nomen mereatur. Cum Arist. 2. de Partibus Animal. cap. 6. apertissimis verbis demonstret, *Medullam esse alimenti sanguinei, quod in ossa distribuitur coctum alimentum*, ex quo patet, siue alimentum, siue excrementum hanc esse dicamus, nec comuni vita frui posse, neque corporis verè partem nuncupari?

De adipe.

34 De Adipe verò omnem difficultatem tollit Gal. 2. de temp. vbi inquit ipse, *Adeps nil aliud esse videtur, quam pinguior sanguinis pars eminis exsudans magis concoctus, & à membranarum frigiditate densatus*. Hęc pro diluendis difficultatibus

ficultatibus sufficiant, quæ de impropriјs partibus similaribus dictis occurrere poterant: De illis verò membris quæ perfectè similaria sunt, cum nulla prorsus sit difficultas, & apud omnes ferè in confesso sit neque plura, neque pauciora esse. Quam à nobis antea enumerata, ideò ijs sic habitis ad Heterogeneas partes me conuerto?

35 Quæ quidem cum innumerens ferè esse videantur, sola earum definitione, seu potius descriptione contenti erimus, vt has ab illis secernere valeamus, nam reliquæ omnes partes præter enumeratas, corpus humanum integrantes, dissimilares sunt, quas omnes *Anameomeres*, seu *etherogeneas* Gal. 7. Met. med. vocat, quia earundem totius, & partis non est vnica ratio, & ex partibus diuersæ rationis conflatæ sunt, veluti est, Manus, Pes, Caput, & similia, quæ omnes, hac etiam ratione à similaribus differunt, quoniam dissimilarium actiones nobis sensibiliter notæ sunt, similarium verò non ita patent. Sed ad Humores iam properemus?

36 De Humoribus ergo, vt institutum seruemus, hæc erunt à nobis præcipuè indaganda, quid scilicet nomine humoris intelligamus, quot, quinam illi sint, & quæ eorum propriæ dotes. Humores itaque dicimus esse humidas substantias ex eorum, quibus vescimur, & potulentorum mixtione genitas, vt illud quod in corporem deperditur per ipsos humores reficiatur, ex quibus constamus, nos, & quotidie nutrimur? *De humoribus.*

37 Hi numero 4. sunt sanguis nimirum Pituita, Bilis, & Melanconia: Qui omnes in qualibet ætate, ac omni tempore in nomine sunt, licet alijs tēporibus vberius, alijs verò parcius in corpore dominatum teneant, & omnes in Hepate gigniuntur ex chilo, per Meseraicas vænas ad ipsum delato, & beneficio caloris ventriculi præparato, sola materiæ, & coctiones varietate distincti; nam quæ pars chili temperatior est in sanguinem ab Hepate vertitur, quæ modum vbique excedit, Flaua bilis fit, quæ verò mediocritatem non attingit pituita, quæ tandem ex coctione subsedit melancolia nuncupatur? *Humores in humano corpore quot numero sint.*

38 Et ad hoc vt ijsdem met corpus rectè nutriri possit, oportet ipsos ritè esse comparatos in substantia, qualitate ko-

eo, & mixtione, quandoquidem certos in his omnibus limites habeant, quos si vtraquè, citraquè consistant, morbos deniq; pariunt?

De sãguine.

39 Et inter humores sanguis principatum obtinet, qui sanguis duobus modis intelligi potest, prius pro illo aggregato ex quatro humoribus, quod in venis continetur, & ex quo vniuersum corpus nutritur, & alitur, deinde verò sumitur sanguis pro puro illo, & sincero humore ab alijs omnibus seiunctus?

40 Est autem sanguis hic calidus, & humidus ex ipsius chili temperatiori parte proueniens, quem bifariam rursus subdiuidere oportet in naturalem, scilicet & non naturalem?

41 Naturalis dicitur, qui medioeris substantia est, rubido colore, malo carens odore, sapore dulci, mitis atque benignus existens?

42 Non naturalis verò est qui ab isto degenerat, & hoc bifariam contingere potest, vel sui scilicet, vel ratione alterius, ratione sui dum mutatur propria substantia, & hac dupliciter, vel quia nimis crassa, aut nimis tenuis sit, vel quia aduritur, & sic pars tenuior in flauam bilem vertitur, crassior in atram, ratione alterius sanguinem à propria natura degenerare dicimus, cum alius humor illi permiscetur, & tunc vario quoq; modo contingere potest, prout variæ bilis species, & pituitæ, vel melancoliæ, ipsi sanguini admiscentur?

De Pituita.

43 Pituita quoque, & ipsa bipartitur in naturalem scilicet, & non naturalem, naturalis est humor frigidus, & humidus, substantia crudus, colore ad albedinem vergens, sapore interdum dulcis, & quandoque omni qualitate expers?

Non naturalis verò Pituita est, quæ à propria natura recedit, & id bifariam contingit, per se scilicet, & per admistionem, per se cum a propria substantia egreditur, & in aliam nempe flatuosam, vel aquosam, vel admodum tenuem conuertitur, & pituita aquosa, flatuosa & tenuis nuncupatur: per admixtionem verò fit præternaturalis, cum illi alius humor permiscetur, nam sanguine admixto dulcis efficitur, si flaua bile amara redditur, si tandem me-

lancoliæ

lancolia, acida, quæ per frigiditatis intensionem vitrea etiam redditur?

44 Bilis partitionem eandem patitur, est enim naturalis, & non naturalis: naturalis substantia tenuissima, ac omnium humorum leuissima est, flaui coloris, & amari saporis? *De Bile.*

45 Non naturalis verò adhuc multifarie subdiuiditur, & à colorū varietate, quibus insignitur, diuersa nomina, & plures tandem non naturalis bilis species constituuntur, Adusta scilicet, Vitellina, Porracea, Eruginosa, Citrina, tandem, & Crocea?

46 Melancolia deniq; tripartitur in alimentariam scilicet, superuacaneam naturalem, & superuacaneam præter naturam? *De Melācolia.*

47 Et alimentariam dicimus esse quartam sanguinis partem, ad nutriendum aptam, in qua partibus frigidam, & siccam quantum humoris indoles ferre potest?

48 Superuacaneam naturalis est crassior illa fex sanguinis, quæ à liene prolectatur, & quamplurimos vsus corpori nostro præbet?

49 Alia verò præternaturalis superuacanea bilis atra dici solet, cuius duæ præcipue species sunt; Prima etenim est cum melancolicus humor, naturalis dictus, in sua propria substantia aduritur, & exquisite nigra, & acida dicitur, secunda verò species ex adustione sui, vel aliorum humorum gignitur, & atra nuncupatur, licet ex Auic. sententia pituita adusta potius gipsea fiat?

50 Tandem se se offerunt spiritus, at quia aliquando per spiritus intelligere solemus aërem, ventos, flatus, & alia huiusmodi, quæ ad corporis nostri substantiam non pertinent, ideò sciēdum est nōs de illo spirituum genere loqui, quod reliquam corporis nostri substantiam complet, & impetum faciens à Gal. nuncupari solet? *De spiritibus.*

51 Quem spiritum dicimus esse subtilem substantiam aëream, ac dilucidam ex tenuissima sanguinis parte productam, vt deferatur virtus à partibus principatum obtinentibus ad reliquas quò actiones propria ipse edere possint?

52 Est autem spiritus hic triplex in corpore nostro, Ani-

malis scilicet vitalis, & naturalis?

53 Ex quibus Animalis quidem in ipso cerebro situs est, ibidem ex sinistro cordis ventriculo delatus, vt iterum excoctus, & satis abundè rursus elaboratus, per neruos in vniuersum corpus dilatari posset ad sensum, & motum perficiendum: nec Animalis dicitur, quia verè animæ substantia, sed potius instrumentum sit, ita dictum eò quod solis animalibus insit, non plantis, nam quemadmodum nos docet Aristot. 4. de Anima, *Animal ob sensum primò tale est*, quę enim sensum habent non solum viuunt, sed Animalia sunt?

54 Vitalis postea spiritus in corde residet, ac ibidem gignitur, ex illa naturalis spiritus portione, quæ in corde per venam inuehitur, & hinc postea feruens redditus, & in aeris ferè naturam versus, per arterias denique funditur ad ipsum calorem implantatum reficiendum, & Animalium denique vitam conseruandam?

55 Tertius tandem spiritus naturalis dictus in venis, & iecore: modo aliquis sit spiritus naturalis, continetur, gigniturq; iste spiritus ex illa magis aerea, & vaporosa sanguinis parte, ex ipso exalante, dum in Hepate coctionem acquirit. His de medico subiecto consideratis, ad ipsam madicam facultatem, ne ab instituto recedere videamur, deueniamus?

56 Quę cum multifarie diuidatur, nos breuitati consulentes in quinquè tantum partes hanc ipsam secabimus, quarum prima φυσιολογικὸν, idest rerum naturæ contemplatio, dicitur. Secunda παθολογικὸν, idest causarum, & effectuum consideratio, Tertia tandem ὑγιεινὸν, Hoc est sanitatis tuendę ratio Quarta σημειωτικὸν, idest signorum obseruatio, Quinta tandem, & vltima θεραπευτικὸν, quod est ipse medendi modus?

Medicæ facultatis diuisio.

57 At quia de θεραπευτικῆς tantum pertractare intendimus, ideò alijs omnibus demissis hanc ipsam aggrediemur?

58 Quam quidem tres rursus habere partes, tribusquè instrumentis procedere affirmamus, Dieta nimirum, Chirurgia, & Pharmacia?

59 Quar-

59 Quarum primam à ratione morbi, viribus egrotantium, & à particularibus accessionibus præcipuè petendam esse putamus: At cum victus multiplex sit, tripliciter hunc ipsum diuidimus; in plenum scilicet, mediocrem, & tenuem, ex quibus, plenus vires conseruat, & auget, mediocris conseruat, sed non auget, tenuis tandem non amplius vires conseruat, sed imminuit?

De Dieta & eiusdē indicationibus, & speciеb.

60 Et in vnoquoque istorum victuum genere instituendo, maximam dicimus esse habendam rationem Bonitatis, ordinis, Temporis, Horæ, ac deniquè ætatis, ne igitur circa victus rationem errata contingant, vnumquodq; istorum sigillatim perscrutabimur?

61 Ac primum dicimus, quicumque à morbis se precauere cupit, eum de ciborum bonitate quam maximè studere debere, eum ad morbos gigniendos plurimum virium Cacochimia habeat, quæ profectò non aliunde magis quàm ex mali, & vitiosi succi, alimentis deprehenditur verum cum id satis non sit, vt aliquis in sanitate diutius seruetur, proinde danda illi opera est, vt nunquam plusquam natura exigit, ingerat, nam vbi cibus plusquam par sit ingestus est, hic vt ait Hip. 2. Aph. 17. morbum gignit?

Eadem methodus, & ordo non solum in sanis Hominibus preseruandis, sed & in ægris quoquè curandis seruanda venit, nam aliam victus rationem morbus acutus, ac celer aliam diuturnus exigit?

62 Præterea cibi etiam qualitas tam in his, quam in illis est accuratè expendenda, sanis enim simili non contraria qualitate prædicti, cibi sunt assumendi, Aegris verò aduersa potius qualitate donata, cibaria sunt exhibenda; cum sanorum temperamentum similibus sit conseruandum, ęgrorum verò contrarijs potius demoliendum?

63 Ac proinde humidum cibum præcipuè conuenire dicimus ij quorum temperamentum, natura est humidum, vt Pueri sunt, aut qui sicco aliquo morbo infestantur, veluti sunt febricitantes, & ideò optima ratione ab Hip. 1. Aph. 16. *Dictum fuit. Humidum victum febricitantibus omnibus conuenire, maximè verò Pueris, & qui tali victu vti consueuere?*

64 Adhuc

Consuetudo, & delectatio in cibis plurimi facienda.

64 Adhuc ad exactam victus rationem instituendam consuetudo, & delectatio accedunt, quandoquidem (vt à veteribus habemus) consuetudo sit altera natura, & ob id quę consueta sunt minus nocere, videntur vnde meritò Hip. 2. Aph. testatum reliquit. Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sint insuetis, tamen minus molestare solent?

65 Quare maximopere animaduertendum esse arbitramur, ne inconsulto Ægri à consuetis cibis, & potionibus auertantur: & si quandoq; ie vrgente necessitate ad insueta sit transeundum, id non subito, sed paulatim faciendum esse putamus, nam vt ait Hip. 6. Epidem. Part. 21. *Repentinæ mutationes vitandæ sunt?*

66 Neque est etiam negligendum, sed exactè perscrutandum quibus præcipue cibis delectetur Aeger, nam suauior cibus, etiam si deterior aliquo pacto sit, semper meliori, & minus suauiori est præferendus, cum ea, quę cum voluptate assumuntur, Ventriculus facilius amplectatur, & concoquat, contra verò ea quæ displicent, refugiat?

Ordo in cibis assumendis seruandis.

67 Ac denique animaduersione dignum est, ne præpostero ordine cibi ingerantur, sed ea alimenta, quę sunt concoctu faciliora, & tenuiora, ijs quæ difficulter concoquuntur, & crassiora sunt præmittantur, cum ea quæ citius concoquuntur, ita citius quoque descendant, & reliquorum descensui viam sternere videntur, hoc ratum firmumque nobis est; nam si contrarium fieret tenuiora alimenta, quæ vltimo loco assumerentur, vbi primum essent perfectè cocta, interclusa via descensus à crassioribus, ob nimiam in ventriculo moram, ibidem corrumperentur, & sic corrupta reliqua corrumperent, & tota tandem coctio vitiaretur, & hanc sententiam confirmat Gal. 2. de alimentorum facultatibus cap. 2. talia verba proferens, *Satius enim fuerit ex cibis, qui subducuntur posteriores quidem summendos, qui tarde permeant, omnino autem primos qui celeriter?*

Varia cibandi ratio penneis diuersa anni tempora.

68 At consideratione quoque dignum est in cibi, potusq; ie ratione perscribenda Anni tempus, quandoquidem alio modo Vere, alio Autumno, & alio quoque Aestate, & Hięme cibare conueniat?

69 Plus

69 Plus enim cibi Hieme, & vere, quam AEstate, & Autumno dandum esse putamus, quod sensisse videtur. Hip. 1. Aph. 15. vbi inquit *Ventres hieme, & vere natura calidissimi; & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exibenda*, calor enim innatus tunc plurimus est, vnde & pluribus eget, alimentis?

70 Ac denique quemadmodum de anni tempore, ita etiam de ætate est habenda ratio, siquidem Pueris humida semper victus ratio debetur, nam illorum corpora exiccanda non sunt, quia ne crescerent prohiberetur; sed de hoc fusius docet nos Hip. 1. Aph. 13. inquiens, *Senes facillimè ieiunium ferunt, secundo loco quietatem consistentem habent minus Adolescentes, omniumq; minimum Pueri præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores?*

71 Hactenus explicatis, quæ ad victus rationem probe instituendam necessaria fore putauimus, iam ductus artis, eò nos trahit; vt de ijs dicamus, quæ ad Chirurgiam, & Pharmaciam pertinere videntur? & quia in Chirurgia, præstantiora, atque magis præsentanea auxilia, quam Medicis hac ætate vsu veniant reconduntur, & dilitescunt, ideò de remedijs ad hanc ipsam spectantibus prius dicemus?

72 Quibus omnibus maior, certior, ac tutior sanguinis missio est?

At quia huiuscemodi præsidium si recte administretur, vt plurimam salutem præstare, ac morbos fere iugulare videtur: sin minus perperam, & grauiora simptomata, quinimò & mortem sæpe inferre solet; non ab re igitur erit de eodem quærere, a quibusnam indicetur, qua in regione plus minusue conferat, quo re tempore, qua hora, & qua ætate magis conuenire videatur? *De sāguinis missione.*

73 Quod ergo ad primum attinet, venę sectionem indicacare, & scopos mittendi sanguinem proprios, & adequatos esse asserimus morbum magnum, ortum à plenitudine, virium robore, & ętate; Quod autem requiratur plenitudo ad mittendum sanguinem, & ratione, & authoritatibus comprobatur, nam iudicatio euacuandi in genere *Venæ sectio à quibus propriè indicatur.*

genere desumitur, repletio verò in specie indicat euacuationem in specie, vt si bilis redundet, debet euacuari bilis, si sanguis debet sanguis euacuari, & sic de reliquis, ergo sanguinis euacuatio conuenit morbis ex plenitudine: Confirmatur hoc Gal. testimonio 4. de tuenda valetudine vbi inquit. *Si lassitudo non cedat debilibus auxilijs, tunc cogitandum est de valentiori remedio, adhibita modo distinctione vtrum magis conueniat vti Pharmaco, vel vena sectione*, & ait differendum esse, nam si peccarit sanguis, sanguis euacuandus, sin alius humor, purgatio adhibenda; Et rursus lib. de constitutione artis Medicæ idem asserere videtur inquiens, quod. *Quoties aliquid superfluum in corpore est, illud tale est euacuandum, adhibita tamen distinctione an quantum, an quale sit*, Et se ipsum declarat, quid per quantum, vel quale intelligat, nam si fuerit inquit ipse sanguis, sectione venę est euacuandus, si vtraque bilis, vel pituita, Pharmaco vti debemus. Et quia plenitudo alijs etiam remedijs quandoq; tolli potest, vt per exercitium, per balnea, per frictiones, per inediam, & alia id genus: ideò vt proprie indicetur sanguinis missio, necesse est quod morbus sit magnus, vndę opus sit cæleri, & magno remedio vti, quemadmodum venæ sectio est. Et quoniam remedium non solum debet indicari sed etiam tolerari ideò animaduersione dignum est, num indicatam sanguinis missionem, ætas & virtus ferre possint?

Venæ sectionē tolerantia, et contra indicātia.

74 De reliquis verò, & in primis de regione, plurimi esse faciendam putamus in ea impensè frigida, vel calida fuerit, cum istarum nulla largam euacuationem substineat, hęc quidem, quia corpus, supramodum detracto cum sanguine calore natiuo, refrigeret, antea satis à larga sanguinis missione refrigerato, illa verò, quia sua caliditate vires dissoluat, atq; discutiat?

Eadem quoque ratione tempus æstiuum atque Hibernum venę secandæ minus tutum esse putamus. Sed accomodatissimum esse veris initium, cum satis abundé moderatum sit, neque minus scilicet calidum, nequè supramodum frigidum, & huic sententię assentire videtur Hip.

7. Aph.

Aph. 54. inquiens; *Quibus à venis sanguinem mittere confert*, verè venam secare oportet, & Gal. lib. de curandi ratione per sang. miss. *vbi se multos podagricos, & alijs morbis obnoxios sanguinis missione veris principio facta, curasse tradit*?

75 De Horâ verò diei in qua magis hoc præsidium conueniat, matutinam horam quammaximè laudamus, sic tamen, vt non protinus excitis à somno, sed horam vnam iam antea vigilantibus vena secetur?

76 Quibus verò, & qua ætate ex dictis facilè elici potest, nam Pueris vsque ad decimaquarta ætatis annum sanguis detrahendus non est, quemadmodum, & senibus post septuagesimum, quandoquidem istorum vires, vt plurimum parum validæ sint, & sanguine non admodum abundent?

77 Si verò in hac ætate constituti multi sanguinis fuerint, viresq; robustas habuerint, si ita morbus iubeat, ijs quoquè venam secari posse arbitramur?

78 Tertium denique, & postremum instrumentum, quo ipsa curatiua Methodus penitus absoluitur, Purgatio dicitur: Quam quidem nil aliud esse asserimus, quam humorum, qualitate peccantium euacuationem, atque ob id, purgationem fuisse nuncupatam, quia ipsum sanguinem ab excrementis purgare videatur, comparato artificio ad imitationem naturę per loca legibus naturæ consentanea, neq; ex euentu dissentanea? *De purgatione.*

79 Nec vllo pacto sanis Hominibus ex Gal. mente in lib. quos, & quales purgare oporteat, conuenire videtur; nam vt ipse testatur ibidem. *Qui sano corpore sunt si purgentur molestias sentiunt, nam & vertigines, & termina patiuntur, ægreque purgatio succedit, & cum hoc etiam celeriter ex soluuntur.* Causa horum omnium medicamentum est, quod cum sibi obnoxium humorem educere cupiat nec id ipsum inueniat, sanguinem deniquè, & carnes colliquat, vt ex eis quod suum est æliciat? *Purgatio sanis hominibus molesta.*

80 Neque ægris omnibus etiam si propriæ ad sint indicationes, hoc pręsidium perpetuò conuenit, nam quicumq; multis cruditatibus laborant, & quibus Hipocondria

C extenta

Aegri qui sint ad purgatione inepti.

extenta, atq; inflata fuerint, aut aliqua viscerum aderit inflammatio: Hos omnes ad purgationem esse ineptos, aut saltem hanc ipsam difficilius ferre arbitramur?

81 Ac rursus quibus ægris purganti Pharmaco vti est opus, non illicò, & inconsultò ad purgationem est deueniendum sed hæc omnia sunt prius exactissimè perscrutanda: Primo num materia educenda sit parata, atque disposita ad purgationem, ne scilicet purgatio violenta fiat, sed sine offensione partium placidè, inoffensoq; cursu humor ad exclusionem feratur, vtq; naturæ expellenti, & remedio traente cœdat: Secundo an meatus, per quos humorum purgatio fieri debet, fuerint aperti: Tertio tandem consideratione dignum est, num adsit virium robur?

Animaduersiones ante purgationes.

82 Nam quo ad primum materia educenda bifariam potest esse ad purgationem inæpta: Primo si materia quæ debet euacuari non sit concocta: Secundo si sit nimis viscida, etiam crassa: Cruda enim existente materia, & extra turgentiam numquam esse purgandum arbitramur, hac vna præcipuè ratione ducti, quod scilicet renitente natura euacuationi, ipsa euacuatio bene succedere non potest, sed cum humores non sunt concocti, vt ex Hip. & Gal. doctrina habemus, retinentur à natura donec concoquantur, ergo humoribus crudis existentibus bona euacuatio succedere non potest, quinimò ratione consonum videtur, vt similia istis accidant simptomata, quæ sano Homini purgato accidere diximus, quod scilicet Pharmaco non valente extrahere proprium humorem, illic, quia non est, hic quia retinetur à natura, carnes colliquantur, vndè tormina, mordicationes, vertigines, & alia simptomata eisdem accidere mirum non est; quæ sententia ex Hip. & Gal. Testimonio firmior redditur, nam, & Hip. 1. Aph. 22. textatum reliquit, *Concocta medicari non cruda, neque in principijs nisi materia turgeat: Plurima verò non turgent*, & Gal. quoque 4. de ratione victus in acutis 43. habuit *Quod corpora omninò expurgare cauendum est, apparente in succis cruditate*: Quare cruda existente materia non esse purgandum nobis ta-

Cruda existente materia cur nō sit purganda.

tum

tum firmumque est?

83 Quod autem crassitudo materiæ, & meatuum obstructio, quam maximè faciant ad purgationem moliendam, patet ratione, ex ipsa rei natura petita, siquidem expurgatio fit tractis succis vi medicamentorum. Sed reliquis paribus eò facilius, quò sunt tenuiores, trahuntur, ergo vbi crassi sint succi nulli dubium, quin sint prius attenuandi, postea verò purgandi, confirmaturq; hoc Gal. authoritate desumpta ex libello quos & quando purgare oporteat, vbi de purgatione loquens inquit ipse; *Oportet autem prius crassos humores attenuare, atque etiam lentos secare, & meatus, per quos illi transeuntur, aperire, & 2. Aph. 9. Hip. ait Corpora cum quis purgare voluerint, oportet fluida facere.* Si quis enim inquit extenuet incidatq; crassos humores, qui in corpore sunt, & meatus aperiat, rectè in omnibus purgatio procedit?

Crassi humores prius esse attenuādos deinde purgandos.

84 Quapropter crassos, & lentos humores decoctis, sirupis in hoc paratis incidendos, & extenuandos esse ante purgationem censemus, atque Corpus laxius, ac mollius, balneis cibis humectantibus, & attenuantibus esse reddendum?

85 Quod de viribus nulli dubium est, quod in Pharmaco exibendo ægri vires sint exactè perscrutandæ, cum ex Gal. sententia affectus præter naturam exposcat auxilia medica, virtus verò nisi exposcit, saltem permittit, itaque exposcit morbus speciem auxilij sanguinis scilicet missionem, aut purgationem, vel aliquid aliud, virtus verò remediorum tantummodo quantitatem definit; quoniam pro modo virtutis plus, aut minus validis remedijs vtimur.

86 His examinatis, vt purgatio rectè procedat est adhuc summopere animaduertendum, quid, quantum, quando, quomodo sit purgandum?

87 Quod de primo apud omnes in confesso est, quod vbi quis humorum euacuationem moliri velit; eos dumtaxat educere debet, qui corpori molestiam afferre videntur, vt si exempli gratiam Pituita corpus infestet, hanc

Quid sit purgandum.

C 2 ipsam

ipsam euacuare oportet, si verò flaua, vel atra bilis molestet, abstinendum à pituita, & bilis infestans educenda, & sic de reliquis?

Quantit. 88 De dosi verò medicamenti, hoc est quanto Pharmacō vti opus sit, & qua humorum copia sit euacuanda, cum id calamò scribi nullo pacto possit, hoc dicimus præcipuè indicari à superabbundante humore, & ab illius viribus, & consuetudine eius, qui debet euacuari, idque confirmatur Gal. testimonio 1. Aph. com. 24. vbi habet?

89 Considerare autem oportet numquid æger idoneè se habeat ad purgationem, & rursus 1. Aph. com. 3. in omni euacuatione vires ægroti oportet attendere, & donec laborans tolerat humorem exuberantem ducere, cum verò vires dissoluuntur, etiam si remaneant superfluitates cauere oportet earum euacuationem?

Quo tempore præcipuè sit purgandum.

90 Copia euacuationis sic deprehensa, reliquum nunc est, videre, quo nam tempore præcipuè sit purgandum cum non minus consideratione dignum sit præsens anni tempus in venæ sectione, ac in purgatione facienda: Et ideò dicimus nos hiberno tempore, in quo frigus immodicum existit, aut æstiuo, in quo solis immensus æstus corpora affligit purgantibus medicamentis, & præcipuè validis nullo pacto esse vtendum?

91 Sed accomodatissimum tempus ad purgationem moliendam Vernum esse dicimus, cum omnis excessus in medio consistat, quod quidam ab Hip. 6. Aph. his verbis confirmatur? *Quibus purgatio cum medicamento conuenit, Hos verò purgare oportet?*

92 Quomodo sit denique purgandum, seu per inferiora scilicet, vel per superiora, id potissimum percipi poterit ab ægrotantium natura, & consuetudine nam, qui in suetisunt, & qui difficiliter se habent ad uomitionem non sunt cogendi, sed potius per inferiora purgandi; ac idem nos docere videtur Hip. 4. Aph. talia verba proferens; *Graciles, & facilè vomentes purgare superius conuenit vomentes verò difficulter, & mediocriter bene carnosos per inferiora.*

FINIS.

Disputabuntur publicè PISIS in Scola Magna Sapientiæ Verissimo, & strictissimo seruato disputandi more. Anno D. M.D.CXVII. Mense
Die Hora

ARGVENTES ERVNT.

D. Dionisius de Dionisijs Vercellensis.
D. Bartolomeus Clericeus Aretinus.
D. Gellus de Gellis Miniatensis.
D. Thommas Vghettius Collensis.

ET CÆTERI QVI VELINT.



FLORENTIAE,

Apud Cosmum Iuntam, Superiorum
permissu. 1617.

